

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XXXII. Quomodo homo negligentias suas suppleat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

In unione  
Christi  
Horæ  
persolvantur.

intente Horas suas legat; non quod hoc bonum minimum sit, sed quia minus esse non potest, quam ut homo debita sua persolvat. Cum ergo Horas inchoat, dicat in corde suo vel etiam ore: Domine, in unione qua ipse in terris Horas canonicas ad honorem Dei Patris tenuisti, hanc tibi Horam persolvo; et sic Deo in quantum potest intendat. Quod dum homo ex frequenti studio in usum portaverit, in tantum nobilitatur et magnificatur coram Deo Patre, ut quasi unum cum meo exercitio reputetur. »

Omnem  
Christianorum  
observantiam  
Christus in  
terris tenuit.

Post hæc cum die alio Dominus in oratione sibi appareret, interrogavit eum si revera Horas suas in terris tenuisset. Cui ille dignanter respondit: « More vestro eas legendo non tenui; attamen in ipsis laudes Deo Patri persolvi. Omnem ergo Christianorum observantiam in memetipso, sicut et Baptismum inchoavi, et pro eis tenui et complevi, sanctificans per hoc et perficiens omnia in me credentium opera. Unde et dixi ad Patrem: *Pro eis sanctifico meipsum ut ipsi sancti sint in me.* (JOAN. XVII. 19.) Sicut etiam vos in septem Horis recolitis quæ passus sum in eisdem horis; ita ego omnia quæ passurus eram, in mea præscivi sapientia, sicut testatur Evangelista dicens: *Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum.* » (JOAN. XVIII. 4.)

## CAPUT XXXII.

### QUOMODO HOMO NEGLIGENTIAS SUAS SUPPLEAT.

**D**UM oraret pro quodam, qui sibi conquestus fuerat quod Horas indevote et alia cogitando frequentius diceret, tale a Deo responsum accepit: « Semper post finem Horarum hoc

1. Sic habet Evangelista: *Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.*

adjungat : *Deus, propitius esto mihi peccatori* ; sive hoc : O Agne mitissime, miserere mei ; quatenus per hoc ejus negligentia suppleatur. » Tunc illa dixit : « Et quid si hoc facere neglexerit, ut scilicet hoc ad omnes Horas non dicat ? » Cui Dominus : « Si post Horas legere neglexerit, dicat illud saltem in die septies, hora qua voluerit pro sua negligentia. Si enim hoc verbum, *Deus propitius esto mihi peccatori* (Luc. xviii. 13), in publicano tantum prævaluit, ut de omnibus peccatis suis justificari meruerit, cur non alius de negligentia sua veniam impetrabit ? Nam misericordia mea modo tantæ clementiæ est quantæ tunc fuit. »

## CAPUT XXXIII.

## QUALITER HOMO FIDEM SUAM DEO RECOMMENDET.

**S**i quis fidem suam Deo hoc modo recommendaverit, hanc gratiam ab eo consequetur, ut in fine vitæ suæ nunquam in vera fide tentetur. Primo igitur, homo fidem suam Patris omnipotentiae recommendet, orans ipsam in virtute divinitatis sic firmari, ut nunquam a recta fide valeat declinare. Secundo, committat eam Filii Dei inscrutabili sapientiæ, orans quatenus ipsam luce divinæ agnitionis illustret, ut nunquam erroris spiritu seducatur. Tertio, benevolentiae Spiritus Sancti eam reconsignet, supplicans ut fides sua per dilectionem omnia in eo sic operetur, ut perfecte consummatus in hora mortis inveniri mereatur.